

D. O. M. A.

*De***PUTREDINE****DISPUTATIO,****Præscitu ac permissu Incltyti****Senatûs Philosophici in illustri & celeberrimâ ad Elystram Academiâ***Publicè proposita,**PRÆSIDE***M. THEODORO ILLINGIO, Cycneò,**
Alumno Electorali,*RESPONDENTE***THEOPHILO LANDTGRAVIO, Lipsiensi,**
Philos. & Medicin. *Haus p.m.**Ad undecimum diem Aprilis, loco horisq; solitis.***Lipsiæ,****Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH,***Anno Christi M. DC. XXIX.*

Chemia,
302, 30

D. C. 1. 1.

PUTZREIHE

DISPUTATION

Practica de doctrina

Scientiae Philosophicae in hunc modum

tractatus de hunc

tractatus de hunc

tractatus

M. THEODORUS LINDNER

Alma Mater

tractatus

THEOPHILUS LINDNER

tractatus de hunc

tractatus de hunc



tractatus

tractatus de hunc

tractatus de hunc



Prooemium.

DRinceps ille DEUS, ut suam hominum generi majestatem demonstraret, rerum in hoc Natura theatro quasdam ἀσπνήτας καὶ ἀφθάρτους effinxit. Harum Catalogo caelestes accenseri optimum censuit, quæ suos perrenni motu cursus conficerent, non verò generando sese multiplicarent, ac quandam post funera (dixisse liceat) sobolem relinquerent. Alias contra immortales constituit & caducas, easq; quò suam singula speciem tuerentur, justà sese lege perpetuare sapienter ordinavit. Hujusmodi sunt, quæ infrà Lunam concinno visuntur ordine digestæ, eaq; difformi ad interitum à Naturâ decretum tramite decurrentes. Aliter enim Elementa dispereunt: Viventia aliter: aliter ex Elementis orta. Primi ordinis corpora mutuis quasi confici vulneribus: Illa morte: Hæc Putredine extingui constat. At non frustra DEUS O. M. istiusmodi generationum & corruptionum vicissitudines in hoc Elementari tractu fieri vult, sed nos de ipsarum causis sedulò ut cogitemus, ut ita, quàm potens ac mirabilis sit in operibus, cognoscatur, nostroq; unà commodo dextrè prospiciatur. Nam quid utile magis & necessarium cujuslibet artis Anagnostæ, quàm Physicam mortis Originem probè perspectam habere. Quid Medicis juxtim ac Philosophis magis ex usu, quàm Putredinis Natales accuratè cognosse. In Medicâ nullius sanè Rei crebrior sit mentio. Quid? quòd multa hujus Artis Theoremata solidè exponi, plurimiq; morbi in Homine à Putrefactione profecti judicari nequeant, si, quid, qualis sit, & cur existat, illa nesciatur. Philosophi quoque ex multis de Naturâ dubitationibus, & doctrina Aristotelica partibus absq; nervosâ hujus materiæ teoriâ sese vix expedient. Argumento nobis sunt acerrimæ inter Φιλοσοφωτάτας semper motæ de hâc Re controversiæ, dum nonnulli hoc, nonnulli aliud statuerint, & cui palma decernenda, adhuc sub judice lis sit.

celis sit. Inde baud mirum, hoc argumentum à Piccolominéo difficultatibus refertissimum, & velut Hydram Lernæam, cui uno deciso difficultatum capite, nova continuo renascantur, vocari: Sed quò digredimur? Prore jam natâ Præsentem Mixtorum Interitum in proscenium deducere, & Ἰετικῶς καὶ καθ' ὅλην declarare nobis visum, ut latens in eo verum, dispersis falsitatum nebulis, Φιληήκοοι καὶ Φιλομαθεῖς ex veneranda celeberrimorum Philosophorum coronâ submissè sciscitaremur. Et ne id ἀμεθόδως agatur, totam Putredinis Naturam ad posterioris Analyseos normam conformabimus, contemplaturi ejus ante omnia, **SUBJECTUM: post AFFECTIONEM: ultimò CAUSAS:** Ergò

Sacro-sancta TRIAS nostris allabere cæptis,
Quandò tuam toto corde vocamus opem.

THESIS PRIMA.

IN limine hujus σκέψεως nobis ad ponderandum primitùs offertur **SUBJECTUM** Putredinis, quòd τὸ μικτὸν esse σῶμα nemo sanus inficiabitur, nec gravem adeò, an id detur, seret litem, utpotè αἰσθητὸν, unanimiq̃ Philosophantium consensu jamdiu assertum.

II.

Aliàs per vocem *Mixti* notamus Substantiam ex intimo Elementorum coagmento resultantem, in cujus generatione talem observat Natura progressum: 1. Elementa uniuntur atq; coeunt, ut in unam velut conspirent naturam, idemq̃ specie producant: 2. Miscentur & se mutuò penetrant, abhinc 3. per mutuam actionem & passionem sese alterant, vires ad invicem infringunt, atque ad aptam se harmoniam redigunt. Postea 4. perfecta mixti γῶσι in scenam prodit.

III.

Licet equam hinc pronunciare sententiam de quorundam opinione, protervè negantium, Elementa rerum mixtilium esse partes, sed matrices tantùm, in quibus, non secus ac domiciliis ceu in utero materno infantes, mistilia delitescunt, & demum è suâ sigillatim materiâ vi cœli ceu Mercurii cujusdam virgâ ex illo orco evocatæ exurgunt.

Mixtura

IV.

Mixtum secatur imperfectè & imperfectè Mistum: In illo præcurrit omnium Elementorum absolutissima mistio, quamobrem cito nec fit, nec perit; In hoc levis ac incompleta, raro omnium, sæpius aliquorum, quare etiam facilimè dissolvitur.

V.

Perfectè Mistum subdivisione abit in ὁμογένειον seu ὁμοιομερὲς & ἑτερογένειον seu ἀνομοιομερὲς: Illius partes ejusdem sunt essentia nominisque cum toto, ut: Metalla, lapides: Hujus diversa, ut stirpes, bruta, homines.

VI.

Singula hæc Mixtorum genera Putredinem ex τὸ πολυμαθεσῶν Aristot: sensu contrahunt, cum ait: σήπεται πάντα ἄλλα, τὴν πύρρος, 4. Meteor. c. 1. Quæ Θεοφ docet, universa etiam imperfectè Mistra Putredine tentari, & ne Elementa quidem impuriora ab ea tuta esse, præter Ignem: licet primariò in perfectè mixtis conspicitur: *partim ob vim consumtricem*, quia nil patitur secum commisceri: *partim ob summam caliditatem*, quæ, cum Igne πρώτως καὶ καθ' αὐτὸν insit, ab alienâ nunquam divellitur.

VII.

Verùm dicito: non solum Ignis non putrescit inter Elementa, sed etiam aër & Pinguedo secundum Philos. l. de long. & brev. vit. c. 5. asserentem: τὰ λιωδὴ ἀσηπία. αἴτιον, θ' ὅτι αἶρ & πῦρ. ὁ δ' αἶρ πύρρος τὰ ἄλλα. πῦρ δ' ἔγινεται σὺν πύρρον. Respondetur, autoritatem non dicere ἀδυναμία, quasi aër & pingua à Putredinis lege omninò exempta; sed δυσχέρεια, quia difficilior illa quàm Aqua & Terra putrefiant.

VIII.

Rursùm dicito; nec communis videtur omni Mistro Putredo, quandoquidem pro certo habemus, Mistra in Climatibus cœli verticibus ex utrâque parte subnixis à rigido gelu enecari, in medio autem & eorum maximo Solis ardore torreri. Respondetur ex mente Phil. qui nullatenus contendit, quælibet Mistra necessariò ac semper putrefieri, sed esse putrescibilia, atq; olim actu putrescere posse. Quod verò Mixta non semper, nec ubicunque per putrefactionem intereant, id externæ vel caloris vel frigoris violentiæ tribuendum, propter quam hæc pertingunt ad naturalè suæ durationis metam.

A 3

ΕΥΡΩ

IX.

Ἐνστασιὶ πορρὸ, quam à Metallis atq; lapidibus petere posses, Zabarella l. 2. de Gen. & Int. Misti c. 4. à posteriori diluit. Nam inquit: & metalla omnia & lapides omnes tandem necessariò putrescere, licet aliqua diutissimè durent. Nisi enim aurum putresceret, tanta jam esset auri copia congregata, ut omnia in aurum ferè mutata essent, ipsumque vilis admodum esset pretii. Putrescere autem metalla ex ærugine, quam emittunt, cognoscimus, eaque inferro evidens est. Imò, antiquum aurum & argentum cernitur coloratum colore obscuriori, quàm recens. Idem de lapidibus cunctis sentiendum, quamvis multa annorum millia perdurent, tamen aliquando necessariò per Putredinem in Elementa dissolvuntur, juxta, tritum;

Mors etiam faxis, marmoribusque venit.

X.

Stat igitur adhuc Arist. recto, ut dicitur, talo sententia, mista, sc. omnia & singula putrescere. Jam nos ordo jubet, misso SUBJECTO transire ad ipsam AFFECTIIONEM, Putredinem nempe, per quam ἐνώσεως καὶ συµμετρέιας qualitatatum in Mixto disunionem, hujusque in principia resolutionem indigitamus.

XI.

Ex datâ περιγραφήν elici poterit hæc Philosophi propositio: τῆ ἀπλῆ ἁρμόσει μάλιστα κοινόν, σῆψις, quam cit. Meteor. l. 5 c. ceu principium jecit ad naturam putredinis explicandam, eamque ibidem duplici robore firmavit: Tum quia Putredo est ultimum, per quod mistum dissolvitur, quod i. hisce verbis probat. Finis autem horum, omnium putredo est, &c. 2. interitu rerum animatarum diverso. Animantium enim interitus est mors naturalis, senectus & impotentia respirandi: in stirpibus verò ariditas, quæ corruptiones in Putredinem viæ sunt. Quippè vivente corrupto mistum relinquitur, quod confestim putrescit, inque pulveres redigitur. Tum, quia mixtorum generatio & Putredo opposito ordine afficiuntur, ita, ut illâ positâ, hæc tollatur, & vicissim.

XII.

Quonam verò respectu generatio simplex ac Putredo opponantur, dispendendum: puta non penes Efficientem duntaxat, uti putat Buccafer. ut

fer. ut nimirum Generatio fiat activis qualitatibus supra passivas: Putredo passivis supra activas dominantibus; *Sed quoque penes Terminos*, quia Generatio est ad esse formæ: Putredo ad non esse: & *Formaliter*, quoniam generatio est terminatio ac unio humidi cum sicco, Putredo interminatio & separatio humidi à sicco. Ex quibus unà patet, κατὰ κοινὸν seu commune cōtrarium Generationi mistorum non posse opponi, quod βιαίως καὶ τῷ ὄντι φύσιν, non κατὰ φύσιν misto competat. Et hoc est, quod *Phil.* ubi ostendit, Putredinem maximè communiter mistorum ἁπλῶς opponi, subjungit: Τέλος δὲ τῶν ἄλλων ἀπάντων τρίτων σαφέστερον, ἢ μὴτι βία φθαρή τῶν φύσιν σωεσώτων. d. l. & c.

XIII.

Tacitè per ea, quæ jam modò memorata fuère, poterit colligi *gemina misti corruptio; Naturalis & violenta.* De priori differit *Aristot.* d. l. exactè, sicuti & nos hoc in loco pro virili: De posteriori non nisi obiter, cum sit Accidentalisis misto que τῆ βία, & præter naturam accidat: Quando sc. sub contrarii adventu forma nequit consistere, & quoties tanta agentibus externis virtus inest, ut mistum opinione celerius demoliantur, atq; Putredinem, cui nullum resistendi spatium, efficaciam suam antevertant.

XIV.

Violentum hunc interitus modum Aristot. Combustionem vocat: ὅτι γὰρ καὶ σάρκα, inquit, καὶ ὅσῃν καὶ ὅπιῃν κατακαῦσαι. Mutatur enim quandoque totum mistum sive combustibile à calore intensissimo in unum Elementum, in Ignem, præter aliquam terræ portionem, quæ ob magnam repugnandi δύναμιν post combustionem servatur, etiamsi affecta calore igneo. Ea etenim est favillæ natura.

XV.

Differt sic Putredo à combustionem bifariam: 1. Putredo, ut dictum, est Physica: Combustio violenta: 2. in Putredine fit resolutio in eas virtutes omnes, è quibus mistum constat; At combustio non resolvitur in ea, è quibus illud constat, singula, sed destruit, ut unum remaneat saltem. Nam etiamsi conveniant termino communi, ut utrinque res non sit, disconveniunt tamen speciali; siquidem in combustionem non nisi unum relinquitur principium: In putredine verò omnia principia dissipantur.

Elnicam

XVI.

Unicam adhuc violentam corruptionis speciem priori associant, ab altero extremorum frigore sc. misto imminentem. Etenim non est impossibile, quin tota res mutetur in frigidum Elementum. v. g. terram, lapides, ferrum, &c. idque propter vehementiam frigidi agentis, constipantis, omnemque calorem extinguentis. Et quamvis hoc ob frigoris in agendo debilitatem sit minus facile, & minus frequens, & minus evidens, rationes interim, experientia atque sensus persuadent, ut hoc concedatur. Compertum enim, non in aquis modo aliquibus & fontibus injecta lapidescere, ferrescere, &c. Sed quoque in terrâ, ubi ligna, virgulta, atque similia degenerant in lapides tam vulgares, quam pretiosos, puta Jaspidem, Achatem, &c.

XVII.

Species ista corruptionem servavit nomen Petrificationis, cum conversio misti in saxa naturâ sit notior vulgatiorque, alioquin mutatio in ferrum dicenda barbarè ferrificatio, & ita cõsequenter. Hunc interitum modum silentii nube involvit Phil. non ut incognitum, sed à materiæ scopo, de qua tractare instituit, alienum.

XVIII.

Præter adductos Φ Jogg's modos Argenterius plures commentus est, quos misto existimat gladio, suspendio, morbo, submersione & similibus contingere, verum absque judicio. Iis enim animatum, non mixtum, quâ mixtum afficitur.

XIX.

Ceterum cur Putredo naturalis appellatur? Non certè respiciendo ad propriam misti naturam. Cum enim mistum interimat Putrefactio, naturalis non erit. Nulla namque natura sui appetit destructionem. Neg, est naturalis ob materiam corruptibilem, aut quatenus oritur à causâ naturaliter agente: partim, quod h. m. combustio esset naturalis: partim quod materia, sicut ad quasvis formas, sic ad omnes motus indiscriminatim recipiendum proclivis. At neque ratione formæ. Nam Putredo misti formæ extremè adversatur. Naturalis ergò dicitur, quia sit juxta naturæ universalis decreta, statuētis certum corruptionis modum, ad quem omnia mista cogantur. Videlicet ut in ea, ex quibus constant, redeant. Id ipsum stabilire videtur 6. Phys. l. c. 6. Arist: ubi Generationem & corruptionem distin-

distinguens in Naturalem ac Violentam, illam *εἰμαρμένω*, fatalem appellat. Nihil enim aliud per fatum intelligitur, quàm lex à Naturâ generali sancita de concinno rerum ortu & occasu. Nec quicquam officit nostræ sententiæ, Putredinem fieri ab extrinseco principio. Fit enim secundùm misti, prout paret legi Naturæ universalis, habilitatem atque propensionem.

XX.

Observa: nobis hîc non esse sermonem de Putrefactione Chymicâ, sed de Naturali, mistorum generationi ἀντιδιηρημύνη. Hinc veluti Generatio, ita & Putredo περιχῶς contrariâ tamen ratione sumitur, 1. Pro alteratione præcedentâ, dissolutione sc. humidî à sicco. 2. Propriè, pro termino, interitu videlicet formæ substantialis. 3. laxè, pro aggregato ex utrisque. Nos postremam, ductu Philosoph. acceptio- nem in enumeratione principalium Putredinis partium sequemur.

XXI.

Familiam jure ducit Putredinis Essentia seu Formalitas, in segregatione humidî à sicco consistens. Διὸ ὑγρὰ πρῶτον, εἶτα ξηρὰ τέλει γίγνεται τὰ σηπόμυρα, Arist. cit. l. Separatio hæc fieri nequit, nisi in tantum calore enervato, ut qualitatibus passivis amplius non dominetur, easque regat. Quare, retento calore, convenientem proportionem habente, humidum cum sicco cohæret. Nam veluti mistum generatur ex unione humidî cum sicco, factâ à calore Naturali; sic è contrario, si calor iste recedat, vel ita diminuat, ut non possit ulterius regere & continere duas passivas, secernitur humidum à sicco, & succedit corruptio.

XXII.

Generis locum sibi vindicat Φθορὰ τῆς θερμότητος, corruptio caloris, quandam μεταβολὴν præsupponens. Nisi enim res mutaretur, sed maneret uti esset, quæ ei comperet corruptio? cùm sit impossibile, simul esse & non esse. Et quoniam quælibet mutatio fit aut à perfectò ad imperfectum, aut ab imperfecto ad perfectum, putredinem primo evenire modo, in dubium haud vocabitur.

XXIII.

At quamnam intelligis corruptionem, num simpliciter ita dictâ, quasi calor planè corrumpatur, & nil caloris remaneat? num corruptionem

B

de mu-

de mutatione caloris ad præternaturalem? Non illam, quoniam, teste Phil. ζῶα ἐγγίνεταί τοῖς ση το μέρους, eam ob causam, quod segregata caliditas naturalis existens facit constare segregata, h. e. caloris rei putrescentis, cum nesciat ulterius illud humidum terminare, & ceu manu tenere pro conservatione mixti, ex sicco ac humido iam à se dilabente, partes humidas cum siccis miscendo, animalium molitur productionem. Hæc igitur verba Aristot. clarè volunt, in putredine relinqui caliditatem quandam, non aeris ambientis, sed mixti putrescentis, quæ congregat unitq; humidum, quod dissolvitur, cum sicco pro generatione istorum animalium. Manet ergo corruptio caloris mutatio ab esse naturali ad esse præter naturam.

X XIV.

Cum a. corruptio caloris possit duobus modis contingere, vel quoad ὑπερβολήν, vel quoad ἀπορία καὶ εἶσιν, scire est necesse, ipsam fieri solum ad majus sive intensiorem. Etenim calor ambientis agit in mistum, idque calefacit, atq; hæc actione nativam adauget θερμότητά, ut postea, abolitâ mensurâ, quam habet ad humidum cum sicco retentionem, præternaturalis & Φθαρτικὸς efficiatur, ex quo fit, ut deserat mistum & evaporet, resq; illa caloris expers in medio relinquatur. Ita ergo dicitur calor corruptus, non ut calor, sed ut naturalis, quia tunc desinit esse naturalis, siquidem non continet humidum sicco junctum, ideoque mistum dicitur frigidum, carens calore naturali.

X XV.

Neg, jam sufficit affirmasse, putredinem esse caloris corruptionem, sed etiam addenda caloris ingeniti, qui corrumpitur, conditio. Hunc duobus haud otiosè Epithetis Phil. expressit, τῆς οἰκείας sc. καὶ κτ' Φύσιν θερμότητῃ, quibus nec caloris naturam diversam, verum tantummodò modum, & aliquos illius gradus significat. Nam calor in mixtorum generatione dupliciter est affectus. Si generare debet, humidumque cum sicco benè terminare, supra humidum atque siccum dominari oportet, unde naturalis dici meruit. Sed quia calor impari proportione in singulis mistis eorumque partibus existit, & inæqualiter dominatur, (quoniam pro multiplici & diversâ mistorum naturâ, multiplex quoque & diversa est caloris mensura) propterea calor in quovis misto non modò dominari, verum etiam misto commensuratus esse debet, quo respectu οἰκείῃ proprius vocatur.

tur. Exemplum libet afferre: animal, planta, metallum calorem obtinent κτ' Φύσιν omnia, aut eorum quodvis determinatum, naturæque suæ σύμμετρον.

XXVI.

Uterq; iste calor in Putredine perit: Naturalis quidem, quia ob suam debilitatem regere humidum suū, atq; id vel contra frigus, vel contra alienum calorem defendere nequit: Proprius verò, quia non consistit sub eâ mensurâ, quæ erat illi misto proportionata & conveniens.

XXVII.

De Genere Putredinis satis sit dictum: jam Subiectum, in quo seu sede propriâ potest fieri Putredo, breviter enucleabimus. Phil. illud appellat ὑγρὸν ἕκαστον. unumquodlibet humidum (primariò, siccum secundariò.) Nam 1. humidiora faciliùs citiusque putrescunt, ut pisces, carnes, &c. contra ossa, crines, &c. tardiùs. Ratio est, quia calor, cum exiguum est humidum, illud omnium optimè ac diutissimè gubernare valet atque determinare. Hinc dulcia citiùs putrescunt, quàm acida ob humiditatem majorem: & pinus quàm quercus, cedrus, &c. ob causam eandem. Hinc nucleus nucis priùs putrescit, quàm putamen, etiamsi putamen priùs externo imbuatur calore. 2. Quæ exsiccant præservant à putredine, sic ut sale præservantur, à putredine ea, quæ crassitiem habent: sulphure, quæ liquida sunt, ut vinum sulphure sublimatum non putrescit ac vapescit; ita Balsamum, Aloe, Myrrha usq; adeò arcent σήψιν, ut cadavera iis condita ad longissimi temporis intervallum, quod de corpore Alex. M. proditum est, qui post multas annorum myriadas suis lineamentis perfectè dignosci potuit, asserventur.

XXIX.

Humido autem nec alimentario, nec excrementitio, sed elementari seu complexionali tantum mixta, quæ talia sunt contenta. Quod à calore, si adhuc est proprius & naturalis, regitur, ac in officio, ne à sicco fugiat, continetur: si corruptus, frænis laxatis liberè evagatur, & à sicco disjungitur. Unde superficies σηπεμύων humidiores initiò deprehenduntur, quia humidum à centro ad circumferentiã concedit, in fine verò putrescentia paulatim siccantur, inq; cœnum sive pulverem abire coguntur, &c. ἐξιώντ' ὅ γδ τὰ οἰκίαις θέρμῃ, σω-
εξατμίσει τὸ κτ' Φύσιν ὑγρὸν. ait Philos. d. l. &c.

XXIX.

Et quidem in utroque humido tam aërio quam aëqueo concipi Putredo potest. Hoc secundum partem Putredo comprobatur. Etenim non aquam tantum & terram cernimus putrescere, unde infecta oriuntur, sed sæpè etiam aërem, quando admiscetur pestilentes atq; noxiæ exhalationes adventitiæ, & à nativâ proprietate discedentes, ex quibus febres malignæ nec nō acutissimi morbi pullulare solent. Hinc ἀσκήρη Φῶς, ἰατρικῆς Hippocrates, ut infectum corrigeret emendaretq; aërem, totas sylvas incendere non fuit veritus, cum Putredini nihil tam resistat ac calor igneus.

XXX.

Magis tamen in humido aëqueo quam aërio. Quoniam quæ plus humidi aërii, minus aëquei, uti oleum, habet, nec tam citò putredine moriuntur. Indè ligna arida parùm continētia humiditatis aëqueæ, plurimum verò oleosæ, diutiùs illæsa præstantur à putredinis injuriâ. Quæ causa quoque est, quod ficciora ad ædificia erigenda fabri lignarii efflagitent lignamenta.

XXXI.

Subjuncto exposito Causam Effic. proximam accedimus. Eam statuit Phil. ἀλλοτρία θερμότης, alienam sive externam caliditatem. σήπετα γὰρ πᾶν σηπόμυρον ἢ ἀλλοτρία θερμῆ Id & exemplo & experimento confirmat. Mixta minus per Hyemem quam per æstatem putrescunt, quia hyeme calor admodum debilis est in ambiente.

XXXII.

Quò verò lucem affundat clariorem legentium animis Philremque acu tangat, hæc verba apponit: αὐτὴ δ' ἐστὶ τὸ περιέχον, illa caliditas est ambientis. περιέχον hoc accipitur dupliciter, vel universè, pro eo omni, quo res putrefieri potest: vel separatim, pro Aere & Aquâ. Nos primum significatū cum Aristotelis interpp. imitari malimus. Experientia nostram stabilit sententiam. Nec enim putredo ab aere ambiente, sed etiam sæpè ab illâ ipsâ re, quæ putrescit, oritur: Quamvis interdum in ipso sit corpore præter naturam affecto. Eâ ratione Fuligines, Vapores & Excrementa in corpore detenta, propter impeditam transpirationem seu ventilationem, humores calefaciunt, & extrinsecæ causæ instar febres putridas, scabiē, phthiriasin, similesq; passiones putres procreant. Similiter lætamen multò

multò faciliùs atque expeditiùs in putredinem vergit, si in a cervum congeratur, eò quod vapores intus exhalati, cum diffari nequeant, externi calidi putrefacientis vice fungantur.

XXXIII.

Calor iste ambiens non primariò in humidum agit, aliàs id absumeret, & tunc humidum non dominaretur calori; sed in calorem rei internum, eumq; intendit, & paulatim ad exteriora una cum humido caloris vehiculo vocat.

XXXIV.

Præsens etiam calor, si internum foràs provocare debet, sit mediocris necesse est. Nimis enim remissus nunquam evocat. Intensior interiores partes torrefacit, ut calor intus manens fortius siccum, cum humido contineat, uti liquet in carnibus fumo induratis. Intensissimus combustioni ansam præbet.

XXXV.

In Putredine ergò eâ utitur methodo natura: 1. calor ambientis evocat calorem mixti naturalem, & sic ipsum corrumpere dicitur. 2. Corruptionem proprii caloris sequitur segregatio humidi & siccici, quæ tamen adhuc est sine formæ Essentialis perditione, sed nuda tantum ad putredinem existit præparatio. 3. Tanta intercedit dissolutio humidi, ut forma servatu impossibilis in momento destruat, & tunc separata manent humidum & siccum, quia non amplius arcto unionis naturalis vinculo conjugantur. 4. Humidum illud a calore consumitur, h. e. transmutatur in halitum, & cum calore evaporat, ut ita nil nisi terreum relinquatur.

XXXVI.

Partibus, quæ ad absolutam & integram concurrunt definitionem, prædeclaratis, nunc ὁρισμὸν τῆς ἕσθ' τῶν ὄρων διαφέροντα τῆς ἀποδείξεως ex humaniorum artium Phosphoro Arist. adscribimus: σὴ ψίς ἐστὶ φθορὰ τῆς οἰκίας, καὶ κτ' φύσιν θερμότητ' ἐν ὑγρῷ ἐκάστω ἀπὸ τῆς ἀλλοτριᾶς θερμότητ' ἢ τῆς ἐν τῷ περιέχοντι.

XXXVII.

Jam in Putredinis species, si quæ dantur, inquirendum. Has cum Zabarellâ & aliis ignoramus. Una enim est Putredinis natura: ob variam tamen mistorû constitutionem aliqualis est diversitas, cujus gratiâ alia magis, aut minùs, alia penes totum, alia penes partem.

putrescere existimatur. Ex quo *Putredo secatur secundum duos modos
sive gradus, in Totalem seu Integram, & Partialem* κτ' μίεⓄ.

XXV III.

*Totalis, facta seu perfecta haecenus potissimum definita atq; explicata
fuit.* Quando sc. calore interno planè destructo, ipsius rei destru-
ctionem sequi, mixtumq; omninò in Elementa resolvi diximus. κα-
θ' ὅλην putrescunt omnia, quæ plurimum terræ obtinent.

XXXIX.

*Partialis, imperfecta & siens, est recessus quidam à naturali consti-
tutione, quando non penitus humidum à sicco abjungitur, verùm
adhuc sicco ex parte est determinatum. Quamdiu n. humidum cum
sicco est unitum, tamdiu totaliter non dicitur putridum, sicut vulgò
fit: v. g. vulgus carnem, poma, &c. putria vocat, vel quando foetent;
vel alioquin esui ac usui non videntur apta. Rectius autem hæc pu-
trescentia quàm putria nuncupantur.*

XL.

*Plurimi sunt hujus Putredinis gradus. Interdum n. tam levis est Pu-
tredo, vel via potiùs ad putredinem, ut juxta accidentia saltem res
alteretur, propriâ ejusdem formâ nihilominus servatâ, quam ob rem
tale mixtum ad pristinam redire potest temperiem. E. gr. in vino
leviter putrescente progressus putredinis inhiberi potest. Pariter hu-
mores putridi in corpore humano vel naturæ ope, vel artis præsidio
pristinæ restituuntur integritati. Interdum tantâ existit, ut quamvis
non fiat omnimoda totius misti in Elementa resolutio; forma tamen
ejus aboleatur, & mistum in aliam rem convertatur, ut Medicinæ
putredini adhibendæ non sit locus, uti in pomo putrido.*

XLI.

*Putredo secundum partem subjecti intuitu duplex est: Alia Elementis
impuris videlicet competit, excepto igne: Alia mixtis perfectis. Et
hæ partiales putredines sunt vera Putredo; & in iis fit non tantum
alteratio, sed totius substantiæ corruptio, verùm non universi & to-
tius compositi, sed aliquarum ejus partium. Sic aer putrescit, non si
quocunque modo alteretur, aut impuri quid ipsi admisceatur; (ita
enim ferè semper putridus esset) sed dum quædam ejus particulae
severâ corrumpuntur, totius tamen aeris formâ non corruptâ; unde
& no-*

& nomen suum retinet, Ita quoque Aqua, Terra & alia putrescunt; Quamvis n. calor in his non possit dici Naturalis & interna esse qualitas: tamen sufficit corpus putredine contaminari.

XLII.

Hucusq; de *ὀριστικῇ ἢ διασπρητικῇ τῆς σήψως ἐξέτασι* actū. Restant *CAUSÆ*, cur res putrescant, quarum geminam afferunt, unam per se, alteram per accidens: Illam iterum in primariam & secundariam distinguentes.

XLIII.

De primariâ & origine priori, quæ est ἡ ἀλλοτριὰ continentis cujusdam corporis *Ἰερμασία*, supra thesi 31. & seqq. egimus, quapropter, ne cramben bis coctam apponamus, de eâ hoc loco quid ulterius proferre superfedemus.

XLIV.

Causæ Efficienti principali addunt etiam secundariam & ordine posterioriorem, nimirum frigiditatem mixti internam & propriam, eam non privativam tantum, uti volunt *Vallesius*, *Erastus*, *Zabarella* & alij, vel privationem caloris, qui exhalavit, sed quoque, ut rectè *Mercenarius*, positivam Terræ & Aquæ, quia cum antè in mixto singulari non pollebat vi, pristinam resumere, in mixti calorem, qui aliàs spontè expirat, fortiùs agere, graviùs eum oppugnare, & foràs pulsare incipit.

XLV.

Accidentaria triplex esse potest causa. Prima frigiditas externa mediocris; quæ corpora constringendo, calorem, ne effluat ad extra, cohibet. Inde cadavera in aquas projecta in exterioribus lentè, in interioribus verò propediem putrescunt.

XLVI.

Altera est humiditas adventitia & manifesta, quæ sæpè calori in educatione substernitur pro subjecto, præsertim deficiente admodum humore. Talem patiuntur corruptionem ligna arida aquis immissa, ubi corrumpuntur, vulgoque putrescere dicuntur, cum tamen non sit *κρυψὴ* putredo. Agit enim aqua in siccitatem istorum lignorum, eamque ita vitiat, ut non possit longiùs inherere humido, sed dissolvatur, ac flaccescat. Huc referuntur etiam marcor & rubigo.

Tertia

XLVII.

Tertia est contagium haud contemnenda Putredinis scaturigo, quâ de subjecto in subjectum derivatur vitium, sive id fiat contactu, sive per distans.

XLVIII.

Quartam hisce annumerant quidam, eamque statuunt *siccitatem externam*, humidum dissolventem, cujus effecta in lignis Teredinem, in fructibus autem Cariem ostendunt: sed eam, cum Putredini dissimilior videatur, loco suo relinquimus.

XLIX.

Finis Putredinis est caenum, ut pus aut fimus putrefactus. Hoc testantur verba Aristot. qui inquit: πάντα τὰ σηπόμωρα γίνετα τέλος γῆ καὶ κόπρῃ.

L.

Satis quoque de Putredinis Causis. Reliquum est, ut ultimam διαλέξις nostrâ, παχυτέρη μέση pertractatâ, benignos tamen Cœlores speranti, manum imponamus. Versati enim diu sumus in putridâ materiâ, tanq. in prole nostrâ materiatae partis consimili, quam cum apprimè vilem & fœtidam noverimus, monemur, teneri esse sollicitos de prole animarum, cujus beneficio ab interitu servamur incolumes, & neglectâ terrâ elevamur in cœlum, ut scitè loquitur Piccol. l. de putredine, capite 10.

Quæritur: An ædes in locis sublimibus, ut montibus, extructæ, salubriores sint iis, quæ in humilibus, iisque palustribus sitæ? **Affirmatur.**

DEO

*Laus, honor & gloria
In seculorum secula.*

F I N I S.